S. ... Angelicus Teol. 5352.

Orlowski Matthaei Casim. Iris a Sole refracta.

I R I S
à
SOLE REFRACTA.
Quam anniuersariâ die S. THOMÆ, Doct: Angelici

In nube AQVINATICA ex gentilitijs fluminibus deducta Obseruauit.

Et stylo Panegyrico ad Aram SS. Trinitatis

In Basilica Inclyti Ordinis Prædicatorum Crac. Demonstrauit.

M. MATTHÆVS CASIMIRVS ORLOWSKI, Phil. D. Reg. Consist. Crac.

Anno Domini M. DC. LXIV. die VII. Martij.

CRACOVIÆ,

Apud Hæredes & Successores, LVCÆ KVPISZ, S. R. M. Typogr.

Vide Arcum & benedic eum qui fecit illum valdè speciosus est in splendore suo. *Ecclesiastici Cap. 43.*



Erat IRIS in capite eius : & habebat in manu sua libellum apertum. *Apocalyp. Cap. X.*

PERILLVSTRIBVS REVERENDISSIMIS, ILLVSTRIBVS
& Admodum Reuerendis Dominis,

Prælatis & Canonicis totique Peraugusto Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis D.D. & Patronis colendissimis.

IRidem Aquinaticam in fluido Elemento à Sole refractã & vocali Suadæ industriâ in Arcum triumphalem Doctori Angelico erectam nunc in paginam deduco & Vobis sisto Perillustres Reuerendissimi Illustres & Admodum Rndi D. D. Tanti enim Doctoris coronamentum eò pulchrius sub Vestris Coronis spectantium oculos ad honoris reuerentiam inuitabit, quò splendidius repetita ex concursu flammarum Maiestas in animis sui colliget admirationem, & mei opus exile ingenij spero securius per vanos interpretũ sensus transiturum tanti interuentu patrocinij. Multum certè Vobis debebit Magnus hic in Ecclesia Doctor & Hæresum debellator victoriosissimus cuius Elementari coronæ Vestras superaddidistis Coronas, tàm ad decorem, quàm ad securitatem. Publico sæpius damno ad coronam peruenitur, Vobis virtute & Scientiâ; alibi tumida sub pretioso onere capita franguntur, hîc ex dignitate eriguntur, ita vt nemo Vestrûm sit qui amplitudinem excelsi no-

)†(minis

minis intra Regiam Maiestatem non metiatur. Quare assumant alij sublimes in patrocinium turres, ego Coronas; alij ferro armisq; ab insultu inuidiæ sese protegant, ego ab illustri metallo Vestrorum Diadematûm affectum & candorem vniuscuiusq; rapiam; potentiâ alij, ego benignitate Vestrâ Coronati sacrorum Præsides. Nec iam mirũ videri debet Orbi Polono, si à Vobis Magni consilij expetuntur capita, prius Coronis ferendis quàm Insulis assueta; quem enim splendor Vestrorum in Ecclesia Dei meritorum non perstringat? quem Publici muneris sæpiùs impositum onus ingenio, dexteritate, & prudentiâ celebrem non faciat? quem vigiles ad Aras Diuorũ excubiæ posteritati ad imitandum non proponant? hac cogitatione inducti currimus ad Vestras Coronas velut ad Pharum Philadelphicã spectatores non apprehensores, submittimus capita non coronandi sed protegendi securè pulsamus, accedimus, admittimur; & si contra egestatem auro opus habemus, aut in patrocinio vocem, manum in lapsu poscimus, facilè impetramus dùm vultu loquimur magis Taciti quàm Tullij Oratores. Non hæc Timantis penicillo exprimenda sunt cùm ex factis interpretationẽ sumant, linguis potiùs omnium celebrantur, quàm simulacris effinguntur. Quare sub tutela Vestrarum Coronarum assurgit nunc mea IRIS in plausum Doctori Angelico, non dubito quòd vbi laureato Capiti aliquid ad decorem aut dignitatem defuerit, à Vestrorum splendore Diadematum mutuabitur. Fauete igitur præconceptis votis, & si imparem tanto Doctori Eloquentiam deprehenderitis Iustiniani Discipulum, non Tullij esse memineritis.

Vestri Peraugusti Capituli
Seruus obsequentissimus
M. Matthævs Cas: Orlowski, Phiæ D. R. C. C.

PEregrinos in terris soles, aduenas in nubib⁹ homines nōdum illæso natura excepit hospitio Reuerendissime Antistes Laodicensis, Perillustres, Illustres, Clarissimi Excellētissimi Religiosissimi Admodum Reuereñ Generosi cæterique Auditores vestris titulis ornatissimi. Nam & geminos in vna Republica Moderatores tanquám Tyrannos, é voto Alexandri Magni iam pridem exilio mulctauit, & tumidam Gigantum Cyclopumque insolentiam cum Ioue vltricibus flammis ad inferos condemnauit. Cæcus sit oportet in hac speciosa rerum varietate ad quarum spectaculum mens hominis maiestate confunditur, oculus serenitate caligat, vultus pretio erubescit, qui affirmare audeat duos in mundo posse lucere Soles, aut extra mortalitatis leges positus, qui existimet humanum esse vacuo pede fugientem auram calcare. An non fuisset exosa in naturali Imperio talis societas? quæ diuerso agendi flexu spem vitæ in rebus naturalibus duceret in perniciem, & venturum in flore solatium præcideret inimico radiorum concursu?

cursu ?

cursu? quid? Nos homines aurane communi viueremus quá nunc respiramus? nùm securos terræ figeremus gressus quam quotidiè premimus? num pulchra superficies manibus in amplexum recurreret, quàm frequenti vsu attrectamus? minimè verò Quemadmodùm aspera frigoribus hyems detrahit amænitati, sic nimius calor adustione: illa ad regeneratione͂, hic ad interitum, illa spem ingerit, hic desperationem. Fabulosa antiquitas Solem discordi equorum cursu terris cum Phàëtonte inclinauerat. Icarum naturâ implumem delicatis ad cœleste hospitium alis superbia inuitauerat. en vtriusque exitium! nam ille imperitiam regendi fla͂mis, hic ambitionis æstum aquis expiauit. Ita illorum errore discimus nec duos in terris oriri Soles, nec homines in nubibus nasci. Verùm dum ego hodiernâ die splendidissimum in vestro cœlo Patres Religiosissimi Solem conspicor, retraho me ipsum, & ex ingenti radiorum luce, vniuersam oculis animoque colligo hilaritatem; duos iam in terris oriri Soles non miror. Lux cuius serenitatem vmbris metimur, oculis nostris debetur, at hic lucidissimus in vestro Zodiaco Phæbus, animis mentibusq; præfulget. Ille vegetabilium Parens mutis etiam Elementis, hic eruditis duntaxat ingenijs lumen affundit, tantò illustrius, quantò nos homines bruta animantia rationis nobilitate superamus. Ille viuentium Seruator impuris fe-

rarum

rarum ſerpentumq́ue connubijs ſuam impendit fæcunditatem ; hic ſerenus animorum Titan in domo Sapientiæ turpitudinem thalami ſpontaneâ Eclipſi auerſatur, & ne intellectûs maculæ, ſuâ illuminatione appareant turpiores, pulchritudinem contrahit radiorum. Agnoſcimus ergo Sol Iuſtitiæ geminos in orbe Soles! in vtroque cœlo nitidiſſimas faces! nam quód ſpiremus, quòd viuamus, quòd intelligamus, Tibi ſoli debemus vtriuſque luminis Auctori, Seruatori, Moderatori. At ne quiſpiam credat á me Doctorem Angelicum in Solis appellationem euocari? non ſum neſcius à pleriſque Oratoribus Solis titulo fuiſſe decoratum, quia tamen periculoſum eſt oculos ad intuendum minimè pertinaces Solis opponere ſerenitati, & in hodierna hilaritate compoſito ad lacrymas vultu indecorum loqui, auidam intuendi voluntatem iucundo Iridis aſpectu ſatiabo, cuius amæniores colores in ſanctitate, puritate, & ſapientia Doctoris Angelici contemplabor; tùm quia Iris imago Solis eſt, tùm quia iterato deſiderio facilem oculorum noſtrorum admittet curioſitatem. DIVE DOCTOR quis vel minimus dicendi artifex Tuâ pulchritudine illectus ſacrum ſibi indicere poſsit ſilentium? ſi Tu & in oculos cœleſtibus lineamentis, & in animos rarâ virtutum maieſtate incurris. Elinguis ſit oportet, quem candor ſerenus Diuiniſsimo Soli concolor non recreet; nouitas admirationem

 in ſpem

in ſpem effuſi gaudij non erigat, fæcunda dicēdi materies linguæ affectum in ſe non confundat. Patere lucidiſſime Doctorum Sol, dùm me ſpectatorem virtutum Tuarum Oratorij eludunt luſus. á Tuo lumine dicendi argumēta illuſtrari. Vos Auditores quæſo ne meæ dictionis vmbras cenſorio admoueatis penicillo ſed ſilentio docti pro me Oratore magis facūdiam ipſam virtutum Doctoris Angelici in coloribus refractis quám me è cathedra perorantem auſcultate.

Nunquám auguſtius D. THOMAS ex ſuarum priuilegio virtutum nomen Doctoris in Eccleſia militanti per animos menteſque Eruditorum circumtulit, & proximè cœleſti emeritum ſolio Caput more Triumphatoris coronæ ſubmiſit, quám dum citra ſortis alienæ diminutionem ipſe in triumphalem arcum Eccleſiæ Soli Diuiniſſimo abijt in IRIDEM refractam. Quid ita? ergonè Orbi Chriſtiano alia defuerunt pacatæ tranquillitatis omina niſi in cornutum IRIDIS orbem futurus Chriſtiani orbis Doctor tranſiiſſet? nonnè illuſtrius Diuinæ ſimulque humanæ Maieſtatis in Eccleſia fuiſſet auctoramentum? Columnam ignis Populo Electo dediſſe in ſecuritatem, vt capeſſendæ immortalis gloriæ nomenclaturam, ne ſæculorum edacitate interiret, columnis incidiſſet? nonné feliciori ſtratagemate Dominus Exercituum contra infenſi calliditatem hoſtis

vtere.

vteretur si æneum serpentem publico militantium aspectui exposuisset in Castris, vt nemo sinè vitæ periculo aspiceret, qui ad salutem Patriæ viuere non possit? minimè Auditores. Hoc demum fuit Saluatoris nostri Solem esse Ecclesiæ si in Thomam Doctorē tanti capacem luminis suæ serenitatis ærarium transtulisset, splendorisque sui pulchritudinem nonnisi in IRIDE Aquinatica coronasset. Fuerit sanè columna Ignis in veteri Testamento Diuinæ simulachrum prouidentiæ; nunc fatale sub cœlo fuisset portentum, ad cuius aspectum facilè spem gaudiorum cogeremus ad luctum. Fuerit pro miraculo Iudæis æneus in deserto serpens, cui excelsa montium iuga & densæ arbores laureatos submisêre vertices, & pro linguis exulantium sua folia liberatori DEO in Panegyricos explicuerunt, at nunc solo originis vitio tanquàm infamem humanæ naturæ hostem damnamus ad tenebras, sæpiusque sub grato amicitiæ vultu tetras inimicitias experimur. Et Vobis Theologi Sapientiæ Sol nunquam affulsit illustriùs quàm dum in IRIDE Aquinatica æmulam sui lucem doctis cælauit coloribus, vtque in homine paruum serenaret Orbem in Vestro Zodiaco beatum hocce posuit Phænomenon! præuiderat fortasse Diuinissimus Astrorum Princeps nè immensa lucis suæ amplitudo mentes feriret & oculos, ac proinde Aquinaticam Nubem mutuo irradiauit splen-

uit ſplendore vt in Sacrato Elemento deſcriptam legem & ciues Patriæ quotidie diſcere, & hoſtes Eccleſiæ ſuis gratiam erroribus poſſint inuenire. Ego quidem dum hæc cogitatione amplector, ante alios colores prima incurrit meorum aciem oculorum nobiliſſima Aquinatici purpura ſanguinis, quæ ſola ad magnæ dignitatis æſtimationem D. THOMÆ ſufficeret, niſi in publico Eccleſiæ theatro virtutis acceſſione indigeret. Nobilior eminuit purpura quò ampliore tolerantia clariſſimus virtutis ſuccus exprimeretur vt generoſus à fortuna, nobilis à virtute dici mereretur. Non decuit aliter Diuum THOMAM ornari niſi vt ex ipſomet felix acciperetur naſcendi principium, & ipſa originis purpura Solis refractione purpuraſceret. Nempe illi qui è ſanguine nobiliore naſcuntur habent hanc inclyti ortûs ſui teſſeram vt à plebe ſecreti rubeant purpurati ante purpuram. Verùm Tu Doctor Angelice Aquinatici heres ſanguinis, noluiſti impreſſam Tuæ IRIDI à Sole purpuram Maiorum faſtis inuoluere, & ab Auis Proauiſque fumoſas rapere cognationes, plus eſt domeſticas vmbras Diuinâ attractionis virtute commutâſſe in lucem, & omnem vetuſtæ ſtirpis ordinem cœleſtibus miſcuiſſe ſplendoribus, quàm alienâ ditari prædâ & emendicatis ad oſtentationem ſpolijs ſuperbire. Itaque Auditores Comitis Noſtri Aquinatis Maiorum Numina in argumentum di-

ctionis

ctioniis meæ non prouocabo. Quiescite ô sancti cineres quiescite ! nil superest è vestro sanguine in successore THOMA, nisi modica spirandi portio : nihil ex humanis splendoribus nisi indutus â generoso contemptu pallor. Coronare domesticos vocalibus laureis postes ad successorum reuerentiàm, innati amoris fuit ? Coronastis. potentiam domûs amplitudine opum in posteris firmare prudentiæ ? Firmastis. Ad honores & magnorum nominum fastigia gradum facere excelsæ mentis ? Fecistis. Attamen, D. THOMAS nobilioris sortis artificio hæc blandimenta contempsit gloriosè. Maluit pretiosum in paternis opibus lucrari damnum, quàm fragili ætatis cursu in insidias feruidioris vitæ incidisse. Elegit magis suam innatam purpuram à Sole Diuinissimo illustrari, quàm ad faces ambitionis incalescentis erubescere, virtutis putauit iter altius conscendisse solâ rectefactorum, constantiâ non maiorum arrogantiâ. Nescio tamen cœlestinè factum est augurio quod D THOMÆ Aquinati hæc nascendi conditio obtigisset, vbi pro domesticis Ceris Gentilitia acceperit, flumina dignum in IRIDE sui Natalis hieroglyphicum. Credidisset alius D. THOMAM fore aliquando flumen sitientibus populare, ad quod concurretur vndique, haurietur abundè, obsidebitur numerosè. Accuratius pensitaret alius futurum cum impuro Cupidine certamen opus fore ad exstiguendas flammas frigido Elemento. Ego

to. Ego ipſe, ne ſim vates, facienda Tibi erit è patrio limine fuga exul Sanctiſſime, deſcribes inſcia fratribus veſtigia in patrijs hiſce fluminibus, vt eluſa piâ arte impietas, Tuos immortales non legat paſſus. Verum Diuinæ virtutis arcana licet humanæ pupillam mentis effugiunt, quoties tamen viuaci in publicum prodeunt argumento, ex effectu facile noſcuntur: non potuit ergo IRIS Aquinatica in collectis Maiorum ſuorum vmbris conſpici, & refractas colorum ſpecies oſtentare ad pulchritudinem, ne incapacitate ſubiecti illuſtrem fortunam conſenſu Philoſophorum damnaret ad inopiam; ipſe Sol Diuiniſſimus Gentilitia flumina intenſi caloris ſublimauit actiuitate, vt in nube rorida id eſt Aquinatica ſuarum virtutum effigies imprimeretur, & imbecillitas Noſtri ſenſus refractionis ſecuritate firmaretur. Mirabilior Xerxe quia is tumentem duntaxat in vincula coniecerat Helleſpontum; hic obnitentia Aquinatica flumina exſiccauit in nubes, ſi tamen hoc eſt exſiccare an non potiùs à conſortio vanitatis ad ſtabilem prouocare felicitatem. Non miror te BONE Eremicola Tuo nomine melior quod in alta ſolitudine in hanc Nubem prodeunti Thomæ Doctori ſerenâ fronte occurreris. Nam in ipſo ortu debuit celeri gradu noxias virtutibus moras ad Solis conſpectum ſuperare qui magnorum nomina Doctorum in Eccleſia tranſcenſurus erat. Debuit in eminentiſſima ſede

cæle-

cælestem ordiri claritatem, qui tanquam prodigium sapientiæ non in sola Italia sed toto terrarum orbe in publicum erat prodicurus. Habemus magnas gratias inclyto sanguini Aquinatico, quòd domesticam purpuram cælestis commercio purpuræ coniunxerit; Maiores Tibi THEODORA Parens quod THOMAM Doctorem tanquam Dei DONVM vtilitati publicæ protuleris; maximas Tibi Prædicatorum Ordo sapientissime, quòd tuum nomen nunquam clariùs quàm in IRIDE Aquinatica fueris interpretatus. Olim obseruatum erat vt quisquis ad sacram Fortunæ Aram peregrinari vellet, lotis nonnisi pedibus discrimen iniret: Noster purpuratus Comes dum vehementi Solis diuinissimi impulsu terras emensus sese in IRIDEM componeret, ne terrenus sudor purpuræ fortuito concursu cœlestem alteraret formam Marianum exhausit congiarium, vtq; futurus Angelicus Doctor ex Gentilitijs fluminibus in horizontem Ecclesiæ laureatum efferret caput purissimo se immersit mari, dum Angelicæ legationis ad Mariam Sacramentum mellitis labijs absumpsit Solem imitatus, qui iuxta Pòëtæ placitum in Hesperio mari præcipitem rubro lauit æquore currum. O purissima peregrini sudoris balnea! ô fortunatas Thomæ in coronam abeuntis Thermas! Satis est Auditores de purpura, quia & ego vestræ beneuolentiæ abusus patientiá non possum non erubescere iucun-

diori passu ad candorem progrediamur. Ecquis hominum est qui candorem & puritatem Angelicam sanguinis societate non corrumpat? non corrupit D. THOMAS. Quis generis claritatem, vt quasi tela sub nobilibus emineat figuris virtuti, subducat? subduxit D. THOMAS. Quis in tenera ætate ad vitiorum aspectum expalleat & colorem Angelicum in vultum expendat? expendit D. THOMAS. Hominisnè ea inuentio est? candoris Angelici in humano corpore lusus. Dicerem Candorem hunc IRIDI Nostræ in cænobio Cassinensi ab operosa paginarum reuolutione aduenisse, aut à quinquenni pietatis exercitio pugnandique cum affectibus solertia induisse pallorem. Verùm cedo, cedo vobis Patres sapientiæ candidati candorem IRIDIS Aquinaticæ ad Vestram auocari æstimationem. Auxit credo illa suum candorem Vestri desiderio candoris, & intenta in curam candidæ Religionis incanuit. Narcissum imitata qui vt quondam in florem sui nominis, ita in vestrum transijsse visa est candorem, auxit inquam sed non perfecit. Quid enim perficeret cui Angelicæ puritatis color per materni sanguinis fratrumq; excubias obscurandus erat. Proh dolor! alienos premeret oculos hæc amæna colorum positio, at fraterni infelices cæcutiunt oculi vt pulchrius ab inuita carceris reflexione candorem IRIDIS quàm à spontanea Solis illuminatione existiment lucere. Candide

Tho-

THOMA periculoſum inſtat certamen extremas inter qualitates. nôſti optimè dubio ſæpè euentu in Elementum pugnari Elementis, vide quæſo ne materna & fraterna manus alicuius vitij caligine adſpergat, quem Sol ipſe Diuiniſſimus olim publico Eccleſiæ bono ſit in exemplum ſeruaturus. indoluit fraterna æmulatio niueum in IRIDE colorem à ſuarum incaleſcentia minarum caligare non potuiſſe; ergo ex officina tenebrarum euocat inducendis aptam coloribus artificem Deam, vt in ſpem victoriæ mollibus priùs puncturis pudorem expungeret, & ſenſim ad imprimendas libidinis maculas celeriùs progrederetur. Adfuit illa ſceleſto intenta operi, ne tamen ſuo labori violentam manum admouiſſe videretur, ſic noſtrum priùs Comitem allocuta. THOMA AQVINAS generoſe Comitum ſanguis quid agis? hiccinè tuus ardor eſt vt dum THEODORAM Matrem tuam toto perturbatam corpore intueris, ſecurè interim quieſcas? quæ eſt obſeruantia ſanguinis alienos quærere purpuriſſos ſi domeſtici adſint? candidam DOMINICI veſtem non eſt cur expoſtules; candidus es! quidquid calcaueris niuea roſa, quidquid attigeris pretioſa gemmula eſt. Florem hunc caſtitatis quem tantopere defendis exiſtima non malè periturum, ſi eundem in fæcunditatem prolis expenderis. eia ocyus feſtina, progredere Comes Illuſtriſſime. O ſuperi! quanta vehementiâ pij affectus ad has voces ſurrexit! horrore

rore ipſo contrariæ qualitatis quàm intensè impalluit! Egonè [inquit] à terreno vitiorum confinio ereptus iterum deſcendam ad inferos? ſiccinè indutam à Sole diuiniſſimo virtutum effigiem terrenis poſtponam vmbris? quale fuiſſet candoris mei cum fuligine comercium, illuſtrem fortunam ad obſequium indigentiæ deflectere! quantum felicioris ſortis exitium! ſerenum meæ IRIDIS velo Timantis ab obtutu celare vt orbis vniuerſus magis in occaſu mærore tabeſcat quàm in ortu lætitiá erigatur? ergo non feram, non patiar, non deſcendam. O vocem vere Angelicam & humanis viribus maiorem! ô contumatiam inobedientis animi generoſam! audite hoc omnes & admiramini qui integritati militatis, quid vnquam candidius potuit eſſe quàm admotis maculis maculas non obſeruaſſe? quid fortiùs quam vno ictu tres hoſtes in acie proſtrauiſſe? Io Io candide THOMA viciſti! aſſurge altiùs! non iam tibi triumphales cum Pompeio erigemus arcus, Tu ipſe in Coronam, Tu in arcum triumphalem aſſurge! Habeant ſuas laudes, quicunque ne cum impudicitia loquerentur linguam caſtam dentibus mutilârunt, alij ne funera caſtitati funeſta intuerentur, euulſis oculis cæcutire contenti, dummodo virtutis conſtantiam & externi orbitatem luminis interná luce ſolarentur. Noſter candidus THOMAS non admiſsá iacturá ſui corporis candorem in IRIDE ſeruauit, & vnicum genus

genus victoriæ putauit noluisse. Tibi hic Triumphus gloriæ paratur Ordo Prædicatorum sapientissime, meruit D. THOMAS dici candidus à candido DOMINICI flore & propugnata castitate, Tibi ab vtroque sumendum exemplum vt in hac candida veste prodeat quidquid dignum in victore glorioso est obseruatum. Quare deuicto hoste quid eum fecisse decuerat? nisi vt Triumphalem arcum erexisset in quo nomen Victoris posteritas legendo veneraretur. Illa illa crux atro carbone parieti inscripta, ne aliquando obliuioni pateret, abolitâ veteri formâ vocem duntaxat transmisit in IRIDEM, vtrumque & candorem & crucem in lunata litera composuit, vt quicunque genus victoriæ voluerit sciscitari, modum simul vincendi posset non ignorare. Actum tamen propè fuisse ne credat quispiam de IRIDE nostra, biennali carcere interclusa vt gemmis conchylia, ita luci tenebræ officere non possunt, & licet sæpius sceleratorum impietati patrocinari soleant, attamen excelsæ mentes lucis absentiam diu ferre nequeunt, quin in apricum erumpant. Vnicum superfuit Victori nostro ad solatium, ne eodem limine quod sibi ad iacturam virtutis patuit, iterum ad experimentum constantiæ redire cogeretur, timens dubiam certaminis aleam, rarò aliquibus iteratâ pugnâ cessisse in victoriam; patentem ergo inuenit fenestram vt ex alto mærentium vultûs subitâ lætitiâ per-

ſtringeret, & primo Religionis ingreſſu nunquam magis deſcendiſſe videretur quàm cum ad obſequium Regulare deſcenderet. Dicamnè hoc loco quam ſæpiùs in ALBERTI MAGNI ſchola, ad voces Condiſcipulorum impolitas ſe humillimè inclinauerit, quàm frequenter audito BOVIS agnomine aut ruborem exercitio virtutis aut ſubnigrum colorem contemptu ſui ſplendoris induerit. Ego ſic in cenſum gloriæ Tibi Doctor Angelice refero, tot colores in Tua IRIDE proſperâ feſtinatione emerſiſſe quot virtutum ſpecies in animi corporiſque libertate poſſumus grato calculo computare; ignoſce tamen impatientiſſimæ voci, ſi Te inuidum & lucis alienæ nimis parcum non abſque cæli noſtrumque iniuria appellare cogar, nam collectos in Tua IRIDE ſplendores ita concauitate obſcurabas, vt niſi ipsâ compreſſione virtus altiùs emicaret, ob Tuam humilitatem poſthumis hiſce coloribus iam pridem caruiſſemus. Video A N maiori neceſſitate me in veſtros affectus vſum eſſe quam mearum virium imbecillitas exigebat. Ergo à candore Angelico gradum facio ad virorem Laureæ Doctoralis, & Aquinaticos in exedris ſudores & veſtram audiendi patientiam Laureâ Coronaturus. Viderint orbis Triumphatores an ſufficiat victori ad promerendam Laurum cum Cæſare veniſſe tantum vt non viderit, non rigidum pectus, non vires fortunaſque ſuas in confertiſſimos hoſtes

eduxe-

eduxerit. Noster Laureatus Doctor ne sibi Comes virtutis, socia laboris, literarum nutrix, Laurea ad crescentis fastigium gloriæ immerita accessisse videretur **Magistri sententiarum** acumen ad fugandam ignorantiam in celeberrima vniuersitate Parisiensi assumpsit, & augustum publici laboris Coronamentum vel ab ipso Christo meruit obtinere, cum benè de se scripsisse Diuino elogio probaretur THOMA [inquit] **bene deme scripsisti.** Agnoscunt ipsimet hostes Ecclesiæ & adorant Laureati Doctoris caput, dùm suas manus **Aurea** vinctas **Catena** attollunt in Triumphum, & quoniam aduersus lucem **Visionis Beatificæ** testes oculos sistere nolunt, imò libertatem linguæ in enuncianda **Verbi Diuini** deriuatione spontaneis malunt castigare supplicijs, ideò more vespertilionum lucem tenebris, veritatem simulatione intercludunt. At Tu Casimire Sarbieui etiam in hac hæresum obstinatione Laureato Doctori vt quondam ingeniorum censori VRBANO VIII. sic lætus occine.

Supplici Myrtus Tibi seruit vmbra,
Seruiunt Lauri Tibi celsa longe.
Quercus assurgit tremuloq́ pinus
Vertice nutat.

Hoc Thomisticum, hoc Aquinaticum est, eruditas paginas in Laurus vertere solo argu-

 menti

menti robore quo **contra gentes** vſus eſt virorem Laureæ Doctoralis animare vt alter Doctor gentium Laureatus dici mereatur. Quod ſi apud hoſtes Eccleſiæ tanta Doctoris Noſtri veneratio? quid apud Ciues Patriæ? quorum Chriſtiani prærogatiuam nominis ſic literarijs defendit impenſis, vt in aggreſſu patrocinium, in perplexitate conſilium, ſubſidium in lapſu ex Oraculis Theologicis habeamus. Subſiſte lingua! & pro pio in Doctorem obſequio dùm ſuprema Capita in Laudes ſuis præeunt ſuffragijs, tu humilis ancilla ſequere. INNOCENTIVS IV. in ſermone *Ecce pluſquàm Salomon hic*, ita pro te loquitur. *Huius Doctoris Sapientia præ cæteris habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem Sententiarum, ita vt qui eum tenuit, nunquàm inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eum impugnauit ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* VRBANVS V. *Lucem eruditionis.* CLEMENS VI. *fructuoſum palmitem.* IOANNES XXII. *fertile paradiſi lignum.* PIVS V. HONORIVS III. ALEXANDER IV. & Sanctiſſimus feliciter modernus in Reſcripto ad Scholam Louanienſem dignum proclamarunt, Cuius doctrinæ ſupplex in genua procumbat Orbis, & manſuris in IRIDE coloribus pius ſpectator aſſurgat ad venerationem.

Sed quoniam altis cadunt de montibus vmbræ, futurum etiam IRIDIS Noſtræ ſperemus receſſum. Quid autem dico receſſum? non enim IRIDEM Aquinaticam exceſſiſſe arbitremur

mur

mur, quam veneratio in Altaribus posuit altitudo sapientiæ in Libris experssit, imitatio in animis, gloria in triumphis posteritati transmisit; tanta virtutis apud cælites æstimatio vt cumulatè mortales Natalium purpuras immortalitate, defensum candorem militari baltheo, emerita Doctorum capita Laureis virentibus soleat coronare. Quidquid igitur mortalitatis habuit hoc in Fossa noua nouo vtiq; mundi thesauro destinata ad perpetuam deponi voluit securitatem. Tibi Prædicatorum Ordo Sapientissimè nobiliorem sui partem ad stabilem sæculorum reliquit cultum, vt gratâ redhibitione acceptam claritatem non alibi, quam in Tuo sinu reponeret. Longis TUORŪ factorū in Ecclesia successib⁹ laudes non metiar, ne immensos Solis radios angustâ definire periodo, & scientiarū opes quibus pretium nullum est ad stateram dictionis cogere videar; vnicum felicitatis Tuæ compendium esto IRIS AQVINATICA cui præter triumphales Academiarum voces nuper ab operoso Magistri Tui Grauinæ laudum apparatu cumulatior accessit reuerentia, fulgebis tamdiu quousque pulcherrimus IRIDIS AQVINATICÆ splendor erit præ oculis æternitati, erit autem quamdiu Sol iustitiæ præsentiam sui in Ecclesia patrocinij retinebit. Tibi Doctor Angelice in agone dictionis meæ supplex gratusq; aduoluor & ante quadriennale Cordis re-

 spirium

ſpirium & hodiernum vocalis obſequij momentū tanquam Academicæ vectigal gratitudinis reddo. Tuum eſt quidquid in Eccleſia, Maieſtate ſplendidum, ſapientiâ clarum, laudatis ſucceſſibus decorum. Cedant nunc Tuæ IRIDI otioſa Romanorum decora ſolo fulgore ambitionis decora. ego affectu Academico futuræ in Eccleſia omen tranquillitatis ad Tuam IRIDEM filiali manu ſuſpenſum relinquo cum lemmate **Feret lux iſta quietem.** Dixi.